

EPISTULA LEONINA

XCVI

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XCV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
NONAGESIMAM SEXTAM (96) !

ARGUMENTA

1. ALEXANDER DEMANDT HISTORICUS DE INTERITU IMPERII ROMANI QUID SCRIPSERIT
2. PAULUS COLLIER OECONOMUS OXONIENSIS QUID SENTIAT DE CALAMITATE IMMIGRATORIĀ
3. ECHŪS VOCES

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam nonagesimam sextam.

*De calamitate Europae immigratoriâ duas tibi praebeo symbolas legendas: unam palaeohistoricam, alteram contemporaneam. Professor **Alexander Demandt** palaeohistoricus docet ex immigratione Visigothorum (vel potius Theruingorum) a.376 p.Chr.n. factâ aliquid disci posse a nobis immigrationem modernam considerantibus. Aliter cogitat quidam editor periodici politici, qui noluit hanc symbolam publicare. Tu legito et ipse iudicato! Mirum est, **Paulus Collier** oeconomus Oxoniensis quam clarê eloquatur ipsam cancellariam nostram in culpâ esse calamitatis immigratoriae. Si bonus Paulus rectê iudicat, nonne consentaneum est, ut Germani quam maturrimê sibi eligant novam gubernationem? Periculum in morâ. Nam imminet Theruingorum affluentia, qui sunt, ut ait Ammianus Marcellinus tam numerosi quam »Aetneae favillae«. Itaque more Arpinatis illius illustrissimi rogitamus: Quousque tandem abutêre, Angela, patientiâ nostrâ?*

Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Dominico, 13. m. Ian. a.2016**



VASTIUS INSURGENS DECIMAE RUIT IMPETUS UNDAE

**Romam a.410 p.Chr.n. a Visigothis vastari.
A.1890 pinxit Joseph-Noël Sylvestre.**

cfr OVIDIUS Metamorphoses XI, 528-532 Inter mille viros murum tamen occupat unus:/ Sic, ubi pulsarunt acres latera ardua fluctus;/ vastius insurgens decimae ruit impetus undae;/nec prius absistit fessam oppugnare carinam/ quam velut in captae descendat moenia navis.

DE INTERITU IMPERII ROMANI

Finis ordinis vetusti



Prof.em. Alexander Demandt

Imperium Romanum extraneis favebat. At immigratores ad mores non accommodabantur nisi numero erant minore. Ordo potentium mutatus est. Hominibus extraneis imperium mansit alienum – tamen iidem potestatem susceperunt. Haec symbola d.22. m.Ian. a.2016 publicata est in FAZ (i.e. Frankfurter Allgemeine Zeitung), scripsit Alexander Demandt, Latinê reddidit Nicolaus Groß.

Professor Dr. Alexander Demandt in Liberâ Universitate Berolinensi docuit historiam antiquam.

Textus, qui infra sequitur, recusatus est a redactore periodici, quod inscribitur „Die politische Meinung“ (i.e. opinio politica). Redactor autem causam recusandi afferens dixit fieri posse, ut textus eâ condicione temporis, quae nunc valeret, falso intellexeretur. Auctor nunc explicat, quid sentiat de hac recusatione.

Domine Professor Demandt, quid sentis de eo, quod textus, quem de fine Romae antiquae inter gentium migrationem facto ut scriberes tibi mandatum erat, primo mandatus, postea recusatus est?

Hoc factum est per stultitiam crassam.

Quidnam discere possumus ex interitu Romae?

Rem publicam tractandam esse circumspectê respiciendosque esse effectûs immigrationis diuturnos. Pervetusta est simultas, quae populis pauperibus intercedat cum divitibus. Necnon vetustus est Europaeorum metus ab australibus gentibus pauperibus. At cultus civilis non interire

solet nisi per tempus longius – Roma interiit per spatium quingentorum ferê annorum.

Quid tu, ut es historicus, suaderes cancellariae foederali?

Affluentia immigrantium nobis est redigenda. Hoc plus minus omnes sciunt. Ad hunc finem assequendum necesse est pati res quasdam asperiores. Nam oportet primo innotescat non esse operae pretium venire in Germaniam. Non licet nobis destituere summam rerum potestatem. Dominae Merkel non licet agere in salutem gubernationum alienarum, populi Germaniae sumptibus. Eadem iure iurando obligata est ad rem contrariam. Eiusdem factis subest quaedam arrogantia moralis. Oportet agere in salutem populi proprii – nec aufugere.

Interrogavit Reinhard Müller

.....

Ecce symbola Alexandri Demandt integra:

Vere anni 376 p.Chr.n. Antiochiâ in urbe Syriae, in aulâ imperii romani apparuit legatio Visigothorum¹, qui venerant e Moesiâ provinciâ prope ostium Danubii fluminis sitâ. Germani rettulerunt ex Asiâ interiore apparuisse Hunos², gentem equitum feram, quae Ostrogothos³ regionis in septentrionem Ponti Euxini sitae incolas devicisset et minata esset Visigothis fortunam fore similem. Quos aufugisse, nunc in ripâ Danubii septentrionali stantes esse profugos homines pacificos et rogare, ut in imperium reciperentur.

Nonnulli quidem consilarii imperatoris a profugis recipiendis dissuaserunt, sed superaverunt ii, qui mallent rogationem praestare. Iidem enim affirmaverunt illos, qui immigrarent, eo utiles fore imperio, quod fierent coloni vectigalia pensuri et stipendia facturi; accedere, quod imperatori christianâ caritate proximorum praedito officium esse non solum saluti prospicere Romanorum, sed etiam omnium auxilio egentium. Itaque rogatum est permissum, limes apertus, ut Gothi influerent. Proconsul romanus conatus est advenas numerare, sed hoc ei propter illorum numerum nimium non contigit. Diem de die pontones

¹ orig. *Westgoten*. Ammianus Marcellinus, qui est testis praecipuus, eam gentem Gotonum occidentalem appellat *Theruingos* (AMM.31,3,4; 5,1;8), orientalem *Greuthungos* (AMM.27,5,6; 31,3,1; 5; 4,12; 5,3). At non ita certum est *Gotones* (sive *Gutones*) Taciti esse *Gothos* posteriores, neque certo scimus, num *Visigothi* exorti sint ex *Theruingis*, *Ostrogothi* ex *Greuthungis*. (*adn. interpretis*).

² Huni, populus Asiaticus (AMM.31,2,1; 21; 3,1; 3; 6; 8; 8,4; 16,3).

³ Apud Ammianum Marcellinum iidem appellantur *Greuthungi* (cfr n.1).

trans flumen vehebantur, et coaequalis Ammianus Marcellinus scribit: *ut Aetnaeae favillae*⁴.

Mox exorta est egestas ciborum. Mercatores romani postulabant nimia pretia; Ammianus scribit pro cane mortuo postulatum esse filium nobilium⁵. Gothi coeperunt diripere, facta sunt proelia minora. Copiae Gothorum exauctae sunt Germanis, quorum multi captivi laborarent in Romanorum fodinis metallicis. Qui se adiunxerunt compatriotis. Pugnae factae sunt, copiae limitaneae sunt devictae, imperator auxilio arcessitus est. Valens advênit cum imperiali exercitu orientali. D.9. m. Aug. a.378 prope Hadrianopolin urbem, quae hodie a Turcis appellatur *Edirne*, factum est proelium. Exercitus romanus a Germanis concisus est, imperator cecidit. Theodosius eius successor a.382 coactus est, ut extraneis attribueret agros, ubi viverent iure proprio. Limes autem Danubii erat manebatque apertus. Iterum iterumque nova agmina in imperium invadebant. A.406 Rheni quoque limes non iam potuit servari. Migratio gentium non iam potuit sisti. Occupatio agrorum fieri non desita est usque ad a.568, quo in Italiam ingruebant Langobardi.

Romanos non fuisse nationem ethnicam

Receptio Gothorum profugorum a.376 facta in civitate romanâ nihil fuit novi. Roma extraneis semper faverat. Scilicet traditum sit iam ipsum Aeneam auctorem gentis Troiâ ex urbe in Italiam immigrasse. Romulus cum urbem Romam conderet, in colle Palatino asylum constituit, quod frequentavit incolis cuiuslibet originis eosque fecit Romanos. Aetate historicâ, quae secuta est, Romanorum erat quemcumque hominem recipere aptum probumque. Talium hominum interfuit magna gens illustrissima Claudiorum, e qua postea quattuor caesares Romani sunt exorti. Unus ex iis, Claudius imperator, ad hanc rem provocans Gallis tribuit ius civile plenum.

Imperio romano dilatato factum est, ut Romani non essent natio ethnica, sed societas hominum iuridica, qui inter se coniuncti erant imperatore et exercitu et administratione et linguâ et cultu civili sublimato. Oeconomîâ efflorescente cupiditas barbarorum trans limites versantium, praesertim Germanorum, excitata est. Qui cum essent pauperes, multis liberis aucti, bellicosi, migrandi cupidi, petebant imperium romanum, cuius agris

⁴ cfr AMM.31,4,9 Per id tempus **nostrî limitis reseratis obicibus atque ut Aetnaeas favillas armatorum agmina diffundente barbariâ**, cum difficiles necessitatum articuli correctores rei militaris poscerent aliquos claritudine gestarum rerum notissimos, quasi laevo quodam numine deligente in unum quaesiti potestatibus praefuere castrensibus homines maculosi, quibus Lupicinus antistabat et Maximus, alter per Thracias comes, dux alter exitiosus, ambo aemulae temeritatis.

⁵ cfr AMM.31,4,11 Cum traducti barbari victûs inopiâ uexarentur, turpe commercium duces inuisissimi cogitarunt et, quantos undique insatiabilis colligere potuit **canes**, pro singulis dederant mancipiis, inter quae quidam ducti sunt **optimatum**.

occupandis et praedâ capiendâ allicerentur. Primi Germani immigrantes a.100 a.Chr.n. Cimbri et Teutones, qui uxoribus filiisque comitantibus a mari germanico profecti aegrê potuerunt arceri.

Ex aetate Gaii Iulii Caesaris Romani Germanos advenientes considerabant animo ancipiti modo illos repellentes modo recipientes, istorum barbarorum e septentrione ingruentium numquam obliti. Caesar repulit Ariovistum regem Sueborum, qui in Galliam invaserat, sed conduxit equites Germanos, ut adiungeret copiis suis auxiliaribus. Augusto principe primum factum est, ut integrae gentes Germanorum reciperentur, velut gens Ubiorum, quam iussit recipere in regionem post Coloniam Agrippinam sitam. Imperatores usque ad Neronem habuerunt satellites Germanos, plures Germani facti sunt coloni, sub Tiberio quadraginta milia, sub Nerone centum milia facta esse feruntur. Hoc continuabatur. Advenae agris acceptis vivebant more agricolarum. Qui mercaturâ et stipendio faciendis discebant sermonem Latinum, cum Romanis provincialibus commiscebantur, colebant eosdem deos ac illi; quo factum est, ut eorum liberi ad mores accommodarentur. A.212 Constitutione Antoninianâ Germani coloni acceperunt ius Romanorum civile.

Germanos pugnasse contra Germanos

Germanis civibus faciendis impetus in limites factus est minor, sed non est finitus. Ab aetate Augusti usque ad Domitiani iterum iterumque fiebant invasiones. Consilium, quo Romani conati sunt Germaniam subigere usque ad Albin flumen, in irritum cecidit in Silvâ Teutoburgensi. A.80 p.Chr.n. Domitianus non potuit, quin limitem aedificaret militarem, ne invaderent extranei non custoditi. Tamen hoc non prorsus fieri poterat. Aetate Marci Aurelii denuo Germani coeperunt facere praedationes maiusque periculum imperio romano intulerunt eo, quod tertio saeculo gentes maiores Alamannorum et Francorum et Saxonum exortae limite perfracto Galliam Italiamque populabantur, cum regiones orientales a Gothis vastarentur, anno 251 vinceretur Decius imperator. Arte belli technicâ licet Romani semper Germanos superarent, tamen Germani stipendio romano facto romanorumque armorum usu illos aequaverunt. Quadamtenus Germani rem suam bellicam exauserunt auxilio Romanorum (scilicet nolentium).

Romani conabantur difficultatem extraneorum causâ sibi allatam tollere ratione homoeopathicâ eo, quod more solito utebantur Germanis ad Germanos impugnandos. Hoc non erat difficile, nam mediâ quoque in Germaniâ, quandocumque controversiae fiebant gentium, semper pugnabant Germani contra Germanos. Lucrosum erat ûti militibus

mercennariis. Itaque fieri poterat, ut provinciarum incolae, quibus militiam facere erat ingratisimum, se dederent agris colendis, et Germani, qui malebant sanguinem effundere quam sudorem, in exercitu militabantur et merebantur.

Cum numerus Germanorum militum mercennariorum etiam etiamque augeretur, fieri non poterat, quin bellatores Germani promoverentur ad munera altiora. Sub Constantino primi Germani facti sunt duces exercituum maiores. Tales duces Germani interdum connubia faciebant cum mulieribus Romanis, immo e domo caesarum oriundis. Ita exorta est aristocratia militaris romano-germanica, quodammodo retificium coniunctionum genealogicum, quibus omnes homines imperium gubernantes aliquatenus inter se erant affines. Ultimo saeculo imperii universi summa imperii fuit penes Germanos, quales erant Merobaudes, Bauto, Stilicho, Ricimerus, Gundobadus. Imperatores, qui Ravennae, Romae, Constantinopoli habitabant in palatiis bene calefactis, ab exercitu seiungebantur ideoque a potestate. A.476 Odovacarus Germanus munere officarii Romani fungens ultimo imperatori occidentali dedit publici muneris vacationem.

Sublatum esse rei publicae monopolium ad arma pertinens

Licet sentias extraneos eo, quod cives facti essent, ita ad mores cultumque civilem accommodatos esse, ut per tria saecula factum erat. At quo plures Germani veniebant et quo altiora munera sunt adepti, eo difficilius hoc fiebat. Invidia exorta est. Simultates apparuerunt. Germani barbati longis braciis pellibusque induti non desiti sunt pro barbaris haberi, aspectu suo semper pro alienis habebantur eorumque confessio Ariana credebatur esse haeretica. Eo quod connubia mixta, vestitus alienus, fides falsa legibus sunt prohibita, cognoscimus, qualis fuerit affectus animorum. Scribebantur litterae, caedes atque homicidia fiebant ad Germanos suppressendos, sed Romani ab illis non iam defungebantur neque illis carere poterant, nam Germani fuerunt milites optimi. Gubernatores provinciis moderari non iam valuerunt, rei publicae monopolium armorum non iam potuit servari. Decreta sunt permulta, sed homines iisdem non iam sunt obsecuti, potestas executiva nihil iam effecit, grapheocratia nimis intricata est collapsa.

Saxones susceperunt Britanniam, Francones Galliam, Alamanni Germaniam superiorem. Italia occupata erat ab Ostrogothis, Hispania a Visigothis, Africa Borealis a Vandalis. In paeninsula Balcanica turbae fiunt, regio orientalis fidei causa vehementissimè pugnabatur. Cives provinciales, qui ubique essent numero valdè superiores, nullo modo apti erant ad rem publicam gerendam, longâ pace caesareâ consueti erant

se ab aliis regi et obtegi. Nunc in angustias adducti praecipuê prospexerunt saluti animarum. Ecclesia supposita est in locum rei publicae, monasteriis servatae sunt reliquiae eruditionis. Oppida, quae incolebantur ab agrorum possessoribus, ad paupertatem sunt redacta. Cives cultum civilem servantes evanuerunt – Germanorum enim magis intererat colere arma quam libros –, a bonis litteris iidem erant manseruntque alieni. Commeatus terrestris atque aquaticus non iam erat securus, commercium remotum, quod multum valebat ad prosperitatem, torpescibat. Percrebrescebat oeconomia naturalis. Aquaeductûs dilabebantur, balnea non iam poterant calefieri, viae et pontes non iam resarciri, trans Rhenum homines non vehebantur nisi pontonibus.

Ex longo tempore iam quaeritur, quare Romanorum cultus humanus civilisque uberrimus et subtilis non restiterit pauperibus barbaris propinquis. Legitur de morum depravatione, de Romanis luxuriâ lassatis, qui singuli peterent vitam dulcem, sed nihil haberent, quod opponerent catervis Germanorum vivacibus vegetisque, cum iidem necessitate coacti per limitem influebant. Immigrantes extranei, qui erant numero minore, ad mores accommodari poterant. Ubi primum iidem extranei quadam quantitate criticâ superiores congregati sunt suâ sponte apti ad agendum, vetus ordo potentium est sublatus.

De auctore.

Professor Dr. Alexander Demandt in Liberâ Universitate Berolinensi docuit historiam antiquam. Textus, quem supra Latinê reddidi, a redactore periodici, quod inscribitur „*Die politische Meinung*“, recusatur causâ his verbis allatâ: „Considerans cum alias tum illas res nocte Silvestri Coloniae Agrippinae factas intellexi fieri posse, ut textus historicus, quem a te temperanter nobis praeparatum acceperimus grato animo, a lectoribus malevolis in contextu periodici nostri politici falso explicetur. Meâ quidem sententiâ periculum est, ne loci huius textûs e contextu extracti adhibeantur malâ fide, ut fingantur esse rebus ibi narratis cum nostrâ condicione hodiernâ similitudines nimis simplices, quae nobis nullo modo sint optabiles“. – Haec auctori scripta sunt a redactore principali periodici, quod êditur ab opere fundato Conradi Adenaueri, quo ipso auctori mandatum est, ut textum scriberet quoad crisin profugorum.

d.29. m.lan. a.2016

<http://www.welt.de/wirtschaft/article151603912/1st-Merkel-schuld-an-Fluechtlingskrise-Wer-sonst.html>

Oeconomus Oxoniensis

"Estne Angela Merkel in culpâ ipsius crisis profugorum? Scilicet! Quis est nisi ista?"

Paulus Collier investigator migrationis culpam ipsius crisis profugorum nemini attribuit nisi Angelae Merkel. Germanicâ ratione immigrationis politicâ neminem esse servatum – sed potius "culpam mortis hominum esse contractam".

Interrogaverunt Anja Ettl & Holger Zschäpitz, Latinê reddidit Nicolaus Groß.



Paulus Collier oeconomus Oxoniensis libro suo recentissimo, qui spectat ad migrationem, non solum intra provinciam scientiarum pervenit in magnam claritudinem. Cui persuasum est hanc crisin finiri non posse nisi patriae profugorum stabiliantur et restaurentur.

Paulus Collier est vir occupatissimus. Qui oeconomus Oxonii docens (ecce iunctio: <http://users.ox.ac.uk/~econpco/>) unus est e migrationis investigatoribus totius orbis terrarum praestantissimis. Ea quae idem vir commendat ad undam profugorum ex altero bello mundano maximam mitigandam a multis desiderantur. Iam colloquio ineunte Paulus Collier monet, ut festinemus, quia Georgius Soros investor ille illustrissimus se rogaverit, ut sibi explicaret, quomodo ferret aptum auxilium evolvendi.

Director quondam argentariae mensae mundanae postulat, ne quae res praeproperê habeantur ineffabiles aut intractabiles necnon defendit analysin sine affectibus faciendam. Qui vir neque est immigrationis laudator neque vituperator, sed subtiliter argumenta utriusque partis, i.e. commoda et incommoda, perpendit. Hoc evidenter apparet ex eius libro a.2014 edito, qui inscribitur "Exodus: Quare immigratio nobis sit novâ ratione regulanda" (Link: <http://www.randomhouse.de/Buch/Exodus/Paul-Collier/e309019.rhd>). Īdem Britannus 62 annos natus, qui ipse est nepos immigratoris, exclusivê colloquium concessit diurnario ephemeridis «Welt».

Die Welt: Hôc tempore 60 miliones hominum fugiunt, quot homines numquam fugerunt ex altero bello mundano. Tamen tu mones hanc exodum fortasse nihil esse nisi initium maioris. Quare?

Paul Collier: In hac re perquam clarê distinguendum est. Unâ ex parte in hac crisi profugorum agitur de rebus publicis ad irritum redactis, qualis est Syria. Homines hinc fugientes nihil volunt nisi vitam suam servare. Qui numero sunt circiter 14 miliones. Alterâ ex parte agitur de illis omnibus, qui vivunt in terris pauperibus et proficiscuntur in divitem mundum occidentalem felicitatem petentes. Qui numero sunt aliquot centum miliones hominum. Haec massa ingens, si quando coepit moveri, vix potest dirigi.

Die Welt: Estne nobis exspectandum mox profecturos esse incolas dimidiae ferê Africae?

Collier: Reverâ multis in Africae rebus publicis chaos augetur. **Serge Michailof**, oeconomus quondam mensae argentariae mundanae, putat regionem in meridie aequatoris sitam factum iri alteram Afghanistaniam. Ibi vivunt centum ferê miliones hominum, et praecipuê condicio civitatum *Mali* et *Niger* est iam valdê instabilis. Istâ in re calamitosâ cancellaria Germana declarat portas Europae esse apertas. Delibera, quaeso, haec verba qualia videantur illis hominibus.

Die Welt: Sentisne Angelam Merkel in culpâ esse ipsius crisis profugorum Europaeensis?

Collier: Quisnam est nisi ista? Usque ad annum praeteritum proximum in Europâ nulla fuerat molestia profugis effecta. Usque ad diem hodiernum non intellego, quare Domina Merkel sic fecerit. Quae mulier eâ re Germaniae et Europae problema imposuit ingens, quod nunc non iam solvi potest satis simpliciter.

Die Welt: Ideone fiet, ut Angelae Merkel munere abdicandum sit?

Collier: Ad hanc quaestionem, etsi vellem, respondere nescirem.

At certê scio cancellariam re illâ declaratâ demum e profugis fecisse migratores.

Die Welt: Quid hoc valet?

Collier: Hoc est facile dictu: Apparet Germaniam sibi placere eo quod personam gerit servatricis. At Germania non est finitima alicui ex terris calamitatum bellorumve. Omnes hi homines, qui veniunt ad vos, profecti sunt e tertiis civitatibus securis. Germania ne unum quidem Syrum servavit moriturum. E contrario: Germania, licet optima quaeque velit, potius culpam contraxit morte hominum. Haec res omnino perperam directa est. Multi homines, cum verba Merkeliana intellexerent esse invitatoria, iisdem ipsis demum inducti sunt, ut iter facerent periculosum, pecuniam parsam erogarent, vitamque suam mandarent subintroductoribus dubiosis.

Die Welt: Si ita est, rectêne iudicat *Victor Orbán* Hungariae minister primarius Europam saepimentis vallisque contra impetum massarum obtecturus?

Collier: Equidem nullo modo curo, quid singuli politici de hac re dicant. Sed finibus saepimentisque hoc problema certê non solvitur.

Die Welt: Quibusnam rebus solvitur?

Collier: Oportet homines migraturi de condicione Europae multo certiores fiant. Oportet Europa clarê dicat non esse consentaneum, ut homines in Europam migrent victûs melioris comparandi causâ. Necnon homines profugi, qui fugâ salutem petant, hoc non diutius possunt in Europâ facere, sed in securis civitatibus propinquis, eodem ipso modo, quo praescriptum est iure gentium. Ratio, qua praescribitur, ut securae civitates finitimae praebeant tutelam, oportet valeat duabus ex causis: Unâ ex parte profugi facillimê contingunt in terram finitimam nullum periculum subeuntes evitabile. Alterâ ex parte pace in patriâ redintegratâ profugi facillimê possunt redire patriamque unâ cum conterraneis restaurare.

Die Welt: At multi profugi in Germaniâ versantes videntur hîc manere velle diutius.

Collier: Hoc multi obliviscuntur de problemate disputantes. Praecipuê proficiscuntur homines quadamtenus bene eruditi et opulenti. Ipsi iidem homines non iam redibunt, si in occidente sedem aliquam invenerunt. At

terris egenis deerunt ipsi ii homines, quibus ad condicionem stabiliendam egent urgentissimê.

Die Welt: At Libanus et Turcia et Iordania hoc onus iam nunc non iam possunt sustinere.

Collier: Aspectavi castra quaedam receptoria in Iordaniâ collocata. Vita in his degenda non est magnifica, sed tolerabilis. Hoc autem solum valet. Debemus adiuvare homines, qui patriam reliquerunt non voluntariê. At hoc non est causae, cur iisdem liceat postulare sedem in caelo opulentiae europaeo sitam.

Die Welt: At hęc modo responsabilitatem Europaeorum nimis leviter tractas.

Collier: Nequaquam. Scilicet oportere, ne profugi alantur sumptibus nationum finitimarum. Oportet nationes opulentiores illarum damna resarciant.

Die Welt: Ergo tibi placet id quod *Volfgangus Schäuble* commendavit, ut pro securis terris finitimis conciperetur consilium Marshallianum?

Collier: Absolutê, hoc est consilium aptissimum. Omnium autem gravissimum est efficere, ut hi homines denuo quaestum exerceant. Hęc tempore homines profugi in magnis castris receptoriis, quae sita sunt in Iordaniâ aut Turciâ vix habent spem quaestum exercendi. Si iisdem ipsis in illis locis occasio datur quaestum faciendi, tollitur incitamentum in Europam occidentalem migrandi. Qui profugis praebet opera quaestuosa, quadamtenus quoque eos potest custodire. E contrario saepes aut pecunia Turciae data ad illos custodiendos minus sunt efficaces.

Die Welt: Quisnam in Iordaniâ efficiat hos miliones operum quaestuosorum?

Collier: Oeconomia Germaniae ad haec efficienda est aptissima. Negotia enim germanica opera quaestuosa in Poloniam aut in Turciam transposuerunt numerosissima. Quidni transponant in Iordaniam?

Die Welt: Nonne ibi cum cetera tum praecipue deest necessaria infrastructura et mercatus et operarii instituti?

Collier: Nequaquam. Iordania condidit zonas oeconomicas speciales, quae optimê sunt instructae. Ceterum non necesse est operarios in

officinâ laborantes esse physicos nucleares. Syri haud peius sunt apti ad opera facienda quam Turci.

Die Welt: Si res est tam simplex, quid Europaei inter se litigant de limite custodiendo deque profugorum numero maximo?

Collier: Europa litigat de re omnino falsâ. Non est officium Unionis Europaeae profugos recipere. At reverâ officium eius est limites proprios custodire, aut communiter aut, si hoc fieri non potest, singulae civitates debent custodire limitem suum. Omnino non intellego, cur de hac re litigetur.

Die Welt: Quia conventum Schengenianum, mercatûs interni institutum prosperrimum, limitibus clausis in irritum caderet.

Collier: At conventum Schengenianum iam pridem est invalidum. Et crede mihi, hoc nil nocet. Mea patria Britannia Maior etiam non est particeps conventi Schengeniani. Non video, quidnam incommodi hoc sit. Conventum Schengenianum nihil est nisi symbolum politicorum Bruxellensium theatricum. Qui eodem symbolo quodammodo volunt simulare civitatem Europaeam. At conventum Schengenianum nullo modo spectat ad Europam. Id quod valet est nos posse ex unâ terrâ iter facere ad aliam. Hoc autem etiam fit sine convento Schengeniano.

Die Welt: At de hac re negotiatores, qui merces exportant intra Unionem Europaeam, omnino aliter cogitant. Qui limitibus clausis timent sumptûs enormiter exactos.

Collier: Hoc argumentum mihi videtur esse praetextum. Cum iter facio in Europam continentalem, syngraphum monstro, hoc fit per decem secundas, et ad hoc faciendum non est necessarium conventum Schengenianum. Maximê valet iter liberê fieri posse, et ad hoc efficiendum non egemus convento Schengeniano. En rem perfacilem factu: Omnis nationis est limites proprios custodire. Etiam non licet tibi iter facere in Botsuanam sine custodiâ limitaneâ. Quidni in Europâ hoc fit?

Die Welt: Ergo Europa non diffringetur, si conventum Schengenianum in irritum ceciderit?

Collier: Europa nullo modo diffringetur. Haec omnia sunt verbis exaggerata. Problema solvetur aut communiter aut a singulis civitatibus.

Die Welt: Libro tuo monuisti hominum immigrantium abundantiam structuram sociale periclitari. Nonne ipsis facinoribus Colonia Agrippina in urbe nocte Silvestri factis verisimile est hoc periculum Germanis imminere?

Collier: Hoc non credo. Homines cognoscent affluentiam profugorum nullam re effectam esse nisi errore politicorum magno, qui corrigetur. At certe difficile erit profugos integrare¹. Hoc eo difficilius erit, quo plures in terram immigraverint et una vivunt locis angustis. Nam tali condicione necessitas deminuitur ad cultum civilem linguamque terrae hospitis se accommodandi. Quo efficiuntur societates parallelae, quibus moderari difficile est.

Die Welt: Exempla huiusmodi sunt permulta. At quae nationes hoc problema tam bene solverunt, ut Europae exemplo esse possint?

Collier: Civitates Unitae immigratione usi sunt cum successu prospero. Necnon Canada et Australia exempla praebent integrationis bonae. Utraque natio rationem immigrationis politicam agit valde selectivam. Canada tantummodo recipit 25.000 Syros – familias tantum, non viros solos iter facientes. Hoc modo multa problemata, de quibus Europa nunc lamentatur, prorsus non oriuntur.

HOC COLLOQUIUM INTERROGATORIUM

D.29. M. IAN. A.2016

A DIURNARIO PERIODICI "DIE WELT"

CUM PAULO COLLIER PROFESSORE OXONIENSI FACTUM

IN LATINUM CONVERTIT

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

¹ Haud ita bene placet usus vocabulorum, quae sunt integrare et assimilare, sociologicus. Nam idem vehementer discrepat a significationibus horum vocabulorum antiquis. Tamen interdum videtur hic usus esse inevitabilis, nisi utimur circuitione verborum molestam, qualis est „ad mores cultumque civilem se accommodare“ vel simile.

ECHUS VOCES

**PROF. EM. MORTIMER CHAMBERS,
UCLA (UNIVERSITAS CALIFORNIAE ANGELOPOLITANA)**

Carissime SPQR, semper bonum est, a te verba recipere, gratias.

Mortimer Chambers, olim professor in UCLA (*University of California, Los Angeles*)

IOSEPHUS DEL COL, SDB (sodalis salesianus) ARGENTINA

Nuper Paulus Kangiser misit ad me epistulam leoninam 95. Etiam ego velim recipere vestras epistulas leoninas, tam locupletes et tam pulchre lingua latina viventi exaratas. Cursus meus electronicus est: (José Juan Del Col) jjdc@juan23.edu.ar.

Valete. Dabam Sinu Albo (in Argentina) die 6^o mensis Martii anno bis millesimo decimo sexto. Iosephus Ioannes Del Col, sdb (sodalis salesianus)

BERNARDUS PLATZDASCH Heidelbergensis

Care Nicolao,

maximas gratias Tibi ago pro "Crabato" abs Te in veste Latina induto. Quod munus pretiosissimum heri vultu laeto accepi, sed verbis Tuis tam benignis lectis erubui. Laudibus floret, qui auget litteras Latinas, laudibus istis faveo. Mihi erit magno ornamento librum Tuum Pantoiae inserere. Nihil ultra appeto. Ceteroquin velim tibi persuadeas me "Crabatum" recensurum esse. – At nondum index electronicus "Vocis Latinae" ad finem perductus est.

Quia pauca corrigenda restant, propugnatoribus Latinitatis recentissimae mihi bene notis permitto, ut paginas indicis in statu nascendi, ut ita dicam, inspiciant. In situ interretiali, cui inscriptio <http://www.periodica.pantoia.de/depositorium/> est, index invenitur (nomen: hospes, signum: xenos). Si ad me scripseris, quid Tu, care Nicolao, de indice sentias, denuo summam gratiam Tibi debebo. Medullitus Te salutatur Bernardus (Epistulam Leoninam 94 accepi.)

PAULUS (*Pablo*) KANGISER IACOBOPOLITANUS (Santiago de Chile)

d.13. m.Mart. a.2016

Paulus Kangiser Nicolao Gross s.d.

Ego sincere gratulor tibi quod operam unus das ut lingua Latina vigeat Epistulamque Leoninam plus semel in mense edas necnon libros et translationes. Pro viribus meis Latinitatem quoque quoad possim foveo et tibi propositum, cui posses consentire, hic infra ostendo.

Velim pagina interretialis instituat, cui quam plurimi scriptores symbolas mittant; una enim pagina saepe renovata - immo cottidie renovata - utilior est quam multae paene semper fixae, quae lectores minime alliciunt. Paginae domesticae quas per interrete adimus non crebro mutantur.

Si omnes qui Latine saepe scribimus in unam paginam saepe vel cottidie symbolas mitteremus, si ea pagina nullum argumentum refelleret dum grammatica recte servetur, si denique verum scriptoris nomen, non pseudonimum, pateat, tunc possumus plures lectores in dies convocare. Eis diffido, qui nomen suum celant.

Pagina interretialis c.t. Ephemeris, quam certe nosti, argumenta omnia exceptit sed etiam interdum ab ignotis scriptoribus symbolas edit vel ab eis qui saltem praenomen dant, et loco nominis civitatem indicant velut si ego Paulus Iacobopolitanus nominarer. Praeterea visitorum numeratrum non facile legitur ("visitatores hodie 196; nunc insunt 190"; quot sint? non intellego).

Aut Ephemeris aut altera pagina interretialis utinam e plurimis scriptoribus cottidie symbolas recipiat et lectorum numerus crescat. Id Latinitati faveret.

Vale quam optime.

Nicolaus Paulo sal.pl.dic.

Care Paule,

summas gratias tibi ago, quod commendas paginam interretialem, qua Latinitas viva melius colatur. Epistolium tuum Epistulae Leoninae hodie edendae includam necnon mittam Stanislao et Albino Ephemeridos editoribus. Haec hactenus raptim tibi scripsi; de singulis universis fusius erit disputandum. Semper gaudeo de rebus a te propositis commendatisve. Pancratice vale et perge nobis favere. Medullitus te salutatur Nicolaus Groß LEO LATINUS.

**HANC EPISTULAM LEONINAM
NONAGESIMAM SEXTAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Dominico, 13. m. Mart. a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>